

## SUMMARIUM.

1. Delectatio morosa generatim sumpta quid sit. — 2. Quomodo differat a desiderio illicito. — 3. Unde dicatur delectatio morosa. — 4. Ad hoc ut delectatio morosa sit peccatum mortale, tria requiruntur; et quæ sint. — 5. Delectatio morosa est triplex, scilicet de re cogitata, de cogitatione et de modo. — 6. Delectatio morosa voluntaria, et deliberata de re cogitata formaliter mala est peccatum mortale, vel veniale prout objectum est graviter, vel leviter malum. — 7. Delectatio morosa de cogitatione, cognitione, vel speculatione rei illicitæ non est peccaminosa. — 8. Delectatio morosa de modo artificioso, seu curioso rei illicitæ non est peccaminosa. — 9. Delectatio morosa speciem peccati non accipit a circumstantia personæ circa quam. — 10. Secus autem est dicendum de desiderio illicito, quo quis desiderat, vel proponit fornicari, aut peccare carnaliter cum femina, quam scit esse consanguineam, conjugatam, vel sacram. — 11. Ligatus voto castitatis, si morose delectetur, debet in confessione circumstantiam suæ personæ explicare. — 12. Morosam Delectationem, seu desiderium capere de re aliqua prohibita, sub conditione, si talis res prohibita non esset, non est peccatum mortale, quoties talis conditio vero aufert malitiam. — 13. Delectatio autem morosa, seu desiderium de objecto jure naturæ prohibito, et semper intrinsece malo sub conditione, si liceret, si non esset peccatum, est semper illicita, quoties objectum in nullo statu, et casu potest esse licitum. — 14. Hinc a fortiore erit peccaminosa delectatio, seu desiderium de rebus quibusvis malis sub aliqua conditione, quæ quamvis a parte rei purificaretur, et poneretur, nullo modo auferret malitiam actus. — 15. Delectatio morosa de re materialiter tantum mala v. g. de pollutione, homicidio, et hujusmodi factis sine culpa in somno, ebrietate, amentia, ex ignorantia, vel errore invincibili, est peccaminosa, sicuti sunt tales res in se. — 16. Licita tamen est talis delectatio, si fiat de ipsis rebus, seu actionibus sub aliqua ratione boni. — 17. Sic etiam licita est delectatio de ejusmodi re materialiter mala, quatenus causa fuit alicujus boni effectus. — 18. Si

(1. Delectatio morosa, generatim sumpta, est simplex complacentia voluntaria de re illicita sine intentione opere implendi. (2. Differt a desiderio illicito per hoc, quod ipsa Delectatio morosa sistat in mera complacentia interna operis illiciti sine intentione progrediendi ad ipsam operis executionem; desiderium vero sit actus voluntatis efficax, quo voluntas appetit, et vult actum peccaminosum etiam ipso opere externo perpetrare, si adesset facultas. (3. Talis Delectatio dicitur morosa non a mora temporis, quia cum consistat in actu interno, potest consummari etiam in instanti; sed a mora, ac immoratione rationis, seu consensus, et advertentiæ sufficientis, ut sit peccatum, id est a mora ipsius voluntatis, quæ advertens malitiam suæ cogitationis, nihilominus perseverat morose in ipsa, ac sibi in ea compla-

(1) De solo assensu, sive consensu expresso loqui videtur Auctor; de implicito, seu interpretativo, et dubio tacet, quamvis sit eorum necessaria cognitio. Quoad implicitum hæc habet ex D. Thoma quæst. 15. de Veritate art. 4. antequam ratio Delectationem perpendat, vel nocumentum ipsius non habet interpretativum consensum, etiam si non resistat. Sed quando jam perpendit ratio Delectatione insurgente,

tamen delectatio, gaudium, vel affectus animi tenderet in ipsam rem, non liceret. — 19. Desiderare rem materialiter tantum malam, ut fornicationem, homicidium fiendum in somno ebrietate, ignorantia invincibili, etc., est peccatum mortale ejusdem speciei cum actu desiderato. — 20. Licet tamen est desiderio, vel affectu simplici, et inefficaci optare ut pollutio mere naturalis, et omnino involuntaria in somno eveniat ob aliquem bonum finem. — 21. Adducitur instantia, et solvitur, ad n. 22. — 23. Dummodo tamen caveatur, ne illud desiderium sit ita intensum, ut moraliter evadat efficax, et probabilius credatur fore causa ipsius pollutionis. — 24. Delectatio morosa de actu conjugii inter conjuges præsentis, dummodo absit periculum pollutionis, non est peccatum mortale. — 25. Immo conjux neque mortaliter peccat, si de maritali copula, altero conjuge absente, cogitans, in re cogitata morose delectetur. — 26. Peccat autem semper mortaliter conjux, dum in actu conjugali cum propria conjuge morose delectatur in imaginatione alterius personæ sibi mentaliter confictæ quasi presentis, loco conjugis. — 27. Delectatio morosa venerea, et directe voluntaria, tam ex copula futura cogitata, quam ex cogitationibus, tactibus, osculis, amplexibus libidinis est sponsis prohibita sub mortali. — 28. Oscula autem, tactus, et amplexus non impudici licite fiunt inter sponso, quando fiunt secundum consuetudinem patriæ in signum benevolentiae, ad conciliandum, et fovendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium, quamvis præter intentionem, et secluso periculo consensus, sequeretur commotio nonnulla sensibilis. — 29. Cavendum tamen est, ne in istis osculis, tactibus et amplexibus habeatur illa delectatio carnalis et sensibilis damnata ab Alexandro VII. — 30. Viduæ mortaliter peccant, si voluntarie consentiant in motum delectationis sensitivæ, qui ex recordatione copulæ maritalis naturaliter oritur. — 31. Adducitur instantia, et solvitur. — 32. Licita tamen est eis delectatio rationalis; Possunt enim Viduæ habere gaudium, ac delectationem rationalem tantum voluntatis de copula præterita, et delectatione annexa.

cet, cum ipsam expellere deberet: Unde si quis per longum tempus detineatur in Delectatione morosa actus pravi v. g. fornicationis, quam cogitat, sed non plene advertat ad malitiam gravem ipsius Delectationis, nec plene consentiat in ea detineri, licet in hoc casu intercedat mora temporis, non erit Delectatio morosa, nec peccatum mortale, ex quo non adsit mora rationis, seu consensus, ac advertentiæ sufficientis ut sit peccatum mortale. (4. Hinc ad hoc ut Delectatio morosa sit peccatum mortale, tria requiruntur: 1. quod objectum, circa quod versatur, sit mortaliter peccaminosum, 2. quod homo advertat se habere talem Delectationem, 3. quod post plenam advertentiam non expellat, vel saltem expellere non conetur, sed præbeat assensum. Sic communis Doctorum (1).

et de nocumento consequente, utpote cum percipit homo se totaliter per hujusmodi Delectationem in peccatum inclinari, et in præceptis ruere, nisi expresse resistat, videtur consentire. Et tunc peccatum ad rationem transfertur per actum ejus. Quoad dubium hæc scribit S. Bonaventura in 2. Sent. dist. 24. part. dub. 1. et art. 2. qu. 2. c. Multa frequenter occurrunt esse venialia, quæ mortalia sunt, et difficulti-

(5. Delectatio morosa est triplex, scilicet de re cogitata, de cogitatione, et de modo. (6. Delectatio morosa voluntaria, et deliberata de re cogitata formaliter mala, est peccatum mortale, vel veniale, prout objectum est graviter, vel leviter malum. Est communis cum S. Thoma, 1. 2, qu. 74, art. 8. Navarr. cap. 11, n. 13. Sanchez, lib. 1. Moral. cap. 2, num. 9. Layman. lib. 1, tract. 3, cap. 6, num. 4. Sporer, tom. 1, tract. 1, cap. 6, num. 23. Azorius, lib. 4, cap. 6, qu. 1. Silvester, verb. Delectatio, q. 1, Less., lib. 4, de just. cap. 4, dub. 13, et alii passim. Et colligitur ex Osea, 10, ibi: *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt*; et ex Matthæi 5, num. 28, ibi: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo*, et ex Apostolo ad Galatas, 5, n. 19, ibi: *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, etc.* Certum est autem Delectationem morosam veneream esse impudicitiæ, vel immunditiam cordis, adeoque est inter illa peccata, de quibus, ibid., num. 21, dicitur: *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*. Unde S. Augustinus, lib. 12, de Trinit. c. 12, expresse dicit: *« Totus homo damnabitur, nisi hæc, quæ, sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, peccata, per Mediatoris gratiam remittantur. »* Et ratio est, quia, qui Delectatur de re cogitata formaliter mala, approbat illam uniendo, et conformando suum affectum illi; nemo enim Delectatur nisi in hoc, quod ei placet, et quod re ipsa amat: ergo sicuti objectum cogitatum est malum, ita etiam Delectatio, cum formalis malitia actus desumatur per ordinem ad objectivam; et ejusdem malitiæ, et bonitatis sint operatio, et ejus Delectatio, ut inquit Philosophus, 10, Ethicorum cap. 3, ad finem. Tum quia voluntarie et deliberate Delectari de peccato carnali cognito, est peccatum mortale, ex communi Doctorum; Sed eadem omnino est ratio de quacunque re illicita mortaliter, ut perjurio, blasphemia, homicidio, furto, etc. Delectatio morosa peccaminosa locum habet etiam in aliis materiis, et qua ratione ipsa peccata externa erunt mortalia, vel venialia in quacunque materia fuerit, v. g. homicidii, perjurii, et hujusmodi; etiam Delectatio morosa de iisdem erit mortalis, vel venialis. (7. Delectatio morosa de cogitatione, cognitione, vel speculatione rei illicitæ non est peccaminosa; non enim peccat, qui legendo, confessiones excipiendo, cum aliis discurrendo, percipit varias peccatorum

species, modos miros et artificiosos, et oblectatur, seu Delectatur, et gaudet, non de ipsis peccatis, sed de peccatorum cogitatione ac cognitione acquisita. Et ratio est, quia objectum hujus Delectationis, scilicet ipsa cogitatio, vel cognitio rei peccaminosæ, per se non est peccaminosa, adeoque neque erit peccaminosa talis Delectatio, cum talis sit Delectatio, quale est objectum: antecedens patet, quia intellectus naturaliter fertur in objectum suum, ut verum, quod æque reperitur in rebus bonis ac malis, nec minus intellectui bonum est verum, seu veritas de rebus illicitis et malis, ac de rebus licitis et bonis, adeoque, etc. Est communis (1).

(8. Delectatio morosa de modo artificioso, seu curioso rei illicitæ non est peccaminosa. Non enim peccat, qui intelligendo, et percipiendo aliquos miros et artificiosos modos, ac inventiones furandi, sponsam rapiendi, hominem occidendi, hostem in bello decipiendi, et hujusmodi, oblectatur, et ridet, non de ipsis malis factis, sed solum de modo curioso, subtili et artificioso; Et ratio est quia tunc voluntas non Delectatur de malo, ut malum est, sed de aliqua ratione boni in malo, seu peccato inventa et considerata, v. g. aliqua curiosa, subtili et artificiosa inventione, dexteritate, fortitudine, et hujusmodi; Stare enim potest quod modus artificiosus, quo fit malum, Delectet, et ipsum malum factum valde displiceat, uti accidit de facto in pluribus casibus, verb. gr. cum audimus narrari fraudes, insidias, atrocias, homicidia, clandestina matrimonia, et hujusmodi, novo quodam artificioso modo, mira et subtili inventione patrata, ridere solemus, et Delectatione affici, non quod de talibus malis gaudeamus, cum ipsa maxime detestemur, sed quod curiosa naturaliter Delectent: Sic cum videndo aliquem ridicule cadentem ex equo, seu naso pronocadentem in lutum, et hujusmodi, ridemus, non lapsum, de quo dolemus, sed solum lepidum, vel ridiculum cadendi modum, et sic de similibus morosis Delectationibus, quæ per se loquendo non sunt peccata, ut cum communi docent Cajetanus, verb. Delectatio morosa; Azorius, lib. 4, cap. 6, qu. 1. Suarez de peccatis disput. 5, sect. 5, num. 7. Sanchez in Decalog., lib. 5, cap. 2, num. 4. Layman, lib. 1, tract. 3, cap. 1, num. 3.

(9. Delectatio morosa speciem peccati non accipit a circumstantia personæ circa quam; Unde si quis simpliciter, ac præcise se oblectet cogitatione morosa peccati carnalis

ex illa prævia cognitione pravæ Delectationis, omni prorsus culpa carere prædicta cognitio, ac de eadem sumpta Delectatio. Præsertim si tales cognitiones nobis comparare studeamus; ac de illis cogitemus non ob finem honestum, sed solius curiositatis causa, nam si accedat honestus finis (ut accidit in Medicis, Anatomicis, Theologis ac Confessariis), prædictæ cognitiones, modo in simplici rei speculatione sistant, omni culpa vacant. (NOT. ROMANI THEOL.)

ex illa prævia cognitione pravæ Delectationis, omni prorsus culpa carere prædicta cognitio, ac de eadem sumpta Delectatio. Præsertim si tales cognitiones nobis comparare studeamus; ac de illis cogitemus non ob finem honestum, sed solius curiositatis causa, nam si accedat honestus finis (ut accidit in Medicis, Anatomicis, Theologis ac Confessariis), prædictæ cognitiones, modo in simplici rei speculatione sistant, omni culpa vacant. (NOT. ROMANI THEOL.)

ex illa prævia cognitione pravæ Delectationis, omni prorsus culpa carere prædicta cognitio, ac de eadem sumpta Delectatio. Præsertim si tales cognitiones nobis comparare studeamus; ac de illis cogitemus non ob finem honestum, sed solius curiositatis causa, nam si accedat honestus finis (ut accidit in Medicis, Anatomicis, Theologis ac Confessariis), prædictæ cognitiones, modo in simplici rei speculatione sistant, omni culpa vacant. (NOT. ROMANI THEOL.)

ex illa prævia cognitione pravæ Delectationis, omni prorsus culpa carere prædicta cognitio, ac de eadem sumpta Delectatio. Præsertim si tales cognitiones nobis comparare studeamus; ac de illis cogitemus non ob finem honestum, sed solius curiositatis causa, nam si accedat honestus finis (ut accidit in Medicis, Anatomicis, Theologis ac Confessariis), prædictæ cognitiones, modo in simplici rei speculatione sistant, omni culpa vacant. (NOT. ROMANI THEOL.)

cum muliere, quatenus verb. gr. est pulchra, et venereæ oblectationis objectum, non vero quatenus est consanguinea, Deo sacrata, aut conjugata, is committit unum simplex peccatum mortale internæ Delectationis morosæ contra virtutem temperantiæ et castitatis; nec tenetur explicare in confessione circumstantiam personæ, sed sufficit si dicat: Delectatus sum toties de copula illicita, illam cogitando, non desiderando; Sanchez, lib. 1, mor. cap. 2, num. 11. Vasquez, disp. 112, cap. 2. Azorius, cit. cap. 6, quæst. 3. Castropal., trac. 2, distinct. 2, punct. 10, § 4. Diana, par. 1, tract. 7, resolut. 48. Layman, loc. cit. num. 15. Reiffenstuel, Theolog. moral. tract. 9, distinct. 7, quæst. 2, n. 15. Felix Potestas, tom. 1, part. 2, num. 2272. Lessius, leg. 4, de just. et jur. num. 123. Verricelli, quæst. 5. Sporer, tom. 2, tract. 1, præem. cap. 6, sub. num. 24, et alii plures apud ipsos contra varios alios (1). Et ratio est, quia talis Delectatio morosa

(1) Ut Auctoris nostri in hanc rem, de qua disputat, opinio magis pateat, ac simul opportune refellatur, præstat hic in medium proferre doctrinam Sanchez, unde opinio isthæc, quam hic tuetur Auctor noster, alique, profuxit. Hic itaque Sanchez scilicet in *Oper. Moral. in Præcept. Decalog. lib. 1. cap. 2. n. 11.* docet in delectatione morosa circumstantias operis externi, de quo est delectatio, manifestandas esse in Confessione; cum ab illo speciem desumat delectatio, et ejusdem sit malitiæ delectatio, atque operatio, teste Aristotele. Verum tamen adjungit hoc esse intelligendum, cum delectatio feratur in objectum secundum totam suam malitiam; tunc enim integram operis externi malitiam, ac speciem sortitur; ac proinde sicut in actu externo circumstantiæ manifestandæ sunt in Confessione, ita et in delectatione; uti si quis E. G. delectetur de concubitu cogitato cum conjugata; secus vero sese rem habere, cum delectatio non feratur in objectum secundum totam suam malitiam apprehensum, sed secundum partem, ut in feminam apprehensam, uti non suam, non tamen, ut est alteri nupta, tunc delectatio non habebit integram operis externi malitiam, sed solum apprehensam, et ea sola manifestanda erit in Confessione, et reducetur ad simplicis fornicationis speciem.

Verum hoc posterius, quod adjungit Sanchez, quodque assectatur Auctor noster, et valde probabile censet Ligorius, nobis plane non probatur. Si enim, uti docet Aristoteles, Delectatio sit ejusdem malitiæ, ac bonitatis, ac ipsa operatio, vel, ut aliis verbis docet Angelicus, nempe quod Delectatio consequatur operationem 1. 2. q. 74. art. 8, rectissime inde consequitur, quod sicut circumstantia conjugii in concubitu habito cum muliere, novam illi speciem tribuit, ac peccatum simplicis fornicationis transfert in malitiam adulterii; ita et in ipsa delectatione de concubitu cogitato cum muliere, quæ simul est et conjugata. Insuper cum Delectatio sit de aliquo objecto determinato; h. e. de copula cogitata cum muliere determinata, animus, qui per Delectationem fertur in illud objectum, fertur in omne illud, quod est eidem conjunctum, et facit unum cum ipso; ac proinde in illud ipsum fertur *implicite* secundum totam suam malitiam. Ergo quælibet circumstantia, quæ facit, ut augeatur, vel multiplicetur malitia actionis, facit etiam, ut augeatur, vel multiplicetur malitia delectationis. Quapropter qui delectatur de concubitu cogitato cum muliere aliqua determinata, quæ simul erit et conjugata, non simplicis fornicationis, sed adulterii etiam malitiam contrahet, in

solum tendit in actum venereum mente conceptum, non autem in circumstantiam personæ conjugatæ, consanguineæ, aut sacræ, adeoque per ipsam violatur sola castitas, non autem jus personæ conjugatæ, consanguineæ, aut sacræ, et consequenter non includit ea Delectatio malitiam adulterii, aut incestus, aut Sacrilegii in confessione explicandam, cum talis Delectatio non sit de copula cum femina ut conjugata, consanguinea, aut sacra, sed solum de copula cum femina præcise ut pulchra (2).

(10) Secus autem est dicendum de desiderio illicito, quo quis desiderat, vel proponit fornicari, aut peccare carnaliter cum femina, quam scit esse consanguineam, conjugatam, vel sacram, nam tunc talis circumstantia pravo desiderio, seu proposito addit specialem peccati malitiam in confessione aperiendam. Et ratio diversitatis inter morosam Delectationem, et desiderium illicitum est, quia desiderium aut propositum

Confessione manifestandam; licet videatur sibi delectari de copula cogitata cum illa, quatenus mulier est, et pulchra, non quatenus conjugata. Quod enim aliquis, dum pascitur animus hujusmodi delectatione, minus perpendat, atque advertat ad circumstantiam conjugii, hoc non facit, ut ipse eximendus sit a peccato ratione illius circumstantiæ; cum culpabilis defectus advertentiæ ad malitiam actionis, aut ad illius pravam circumstantiam, neminem eximet a reatu peccati ratione illorum, quemadmodum unanimi consensu docere sanioris Ethices assertores adversus Probabilistarum commenta; quod et in ipsa delectatione contingere nullus dubito.

Propositæ porro rationes simul cum illis, quæ profert Romanus Theologus in Notula subjecta, evincere videntur, hæc quæ diximus locum habere non solum in delectatione quæsita, aut aliqua via, et ratione procurata; sed etiam in illa, quæ in nobis exoritur ex occurso alicujus objecti delectabilis, neque ullo pacto a nobis quæsita sit; modo sit de objecto determinato, licet, Romanus Theologus in sola delectatione quæsita, ac procurata id locum habere fuerit arbitratus. (*Edit. Neap.*)

(2) Si morosa Delectatio repente in nobis exorta ex occurso alicujus objecti delectabilis sit, neque ullo pacto a nobis quæsita, certe videtur non sumere peccati speciem a circumstantia personæ, *circa quam*; Secus vero existimandum est, si Delectatio fuerit aliqua via, aut ratione procurata eo præcise animo ac fine, ut Delectatio de re illa capiatur. Nam si Delectatio quæsita sit, profecto respicit particularem aliquam personam, adeoque objectum cum suis circumstantiis; et licet Delectatio sit pure interna complacentia, id tamen satis non est, ut circumstantia personæ non multiplicet peccatum; nam desideria quoque interna sunt, et tamen peccata multiplicat ratione circumstantiarum. Præterea Delectatio quælibet mentem subiens, tametsi quandoque respicere videatur rem per se delectabilem a circumstantiis præcisam, tamen si attento animo res expendatur, evidens est, cadere Delectationem supra hanc determinate, et non supra aliam personam; non enim est Delectatio de re indeterminata, sed de hoc vel illo objecto: unde sit ut objectum delectabile præsens sit menti cum suis circumstantiis. Denique talis Delectatio nonne tendit in actum venereum cum ea persona exercendum, de qua habetur Delectatio? Ita plane; atqui persona determinata non potest nisi per mentem suis circumstantiis spoliari. (*NOT. ROM. THEOL.*)

fertur in objectum cum omnibus circumstantiis consideratum, et tendit in ipsam actionem externam, eandem desiderando perficere, si posset, adeoque eandem cum ipsa actione externa induit malitiam in confessione explicandam; Delectatio vero morosa, seu simplex complacentia, cum sequatur simplicem et præcisivam intellectus operationem, potest ferri in unum, ita ut non simul feratur in alterum ei adjunctum; adeoque cum ipsa Delectatio morosa sistat præcise in interna complacentia carnali sine ordine ad actionem externam sequestrans reliquam malitiam, quæ in ipsa actione reperitur ratione circumstantiæ consanguinitatis, conjugii, vel voti annexæ, non induit aliam malitiam in confessione aperiendam; Layman, loc. cit. num. 15. Reiffenstuel, loc. cit. num. 17, et alii supracitati. (11) Ligatus autem voto castitatis, si morose Delectatur, debet in confessione circumstantiam suæ personæ explicare, quia peccat contra votum; castitas enim est virtus prohibens omnem Delectationem veneream tam internam quam externam. Est communis.

(12) Morosam delectationem, seu desiderium capere de re aliqua prohibita, sub conditione *si talis res prohibita non esset*, non est peccatum mortale, quoties talis conditio vere aufert malitiam operis; uti accidere solet in iis, quæ solo jure positivo prohibita sunt, ut *vellem hodie comedere carnes, nisi esset dies Veneris, nisi esset prohibitum*; et uti interdum accidere potest etiam in aliquibus, quæ sunt prohibita jure naturæ, et sunt intrinsece mala; si Delectatio morosa, vel desiderium de iis capiatur sub conditione alicujus status, vel casus in quo possunt esse licita, ut *vellem uxorem hanc ducere, si non essem uxoratus, si non essem Sacerdos, si non essem voto adstrictus; vellem prædari, si Deus permitteret*. Sic communiter tenent Cajet. verb. *Cogitationum peccata*, Adrian. quodlib. 10. art. 2. conclus. 1. Sanchez lib. 1. moral. cap. 2. num. 24. Vasquez disp. 110. c. 1. Azor. l. 4. cap. 6. q. 10. Layman, lib. 1. tract. 3. cap. 6. num. 10. Busembaum l. 5. cap. 1. dub. 2. art. 1. Lugo de Sacrament. Pœnit. disp. 16. sect. 6. num. 388. Sporer tom. 1. tract. 1. præem. cap. 6. num. 19 et 24. et alii. Et ratio est, quia tales actus inefficaces tendunt in actum externum, non ut finem, vel terminum fiendum a parte rei, sed præcise ut in objectum propositum per intellectum, ideoque ab eo non plus malitiæ sumunt, quam proponatur per intellectum: atqui intellectus proponens objectum sub tali conditione auferente omnem malitiam actus, nullam in actu malitiam proponit; ergo nullam inde sumit malitiam ejus desiderium, seu volitio, vel Delectatio conditionata et inefficax. Hinc quamvis desiderium, et Delectatio de esu carnis in die Veneris sit quid illicitum, stante prohibitione, appositam tamen illa conditio, *Nisi esset dies Veneris, nisi esset prohibitum*, aufert ornam malitiam, cum dempta prohibitione, comedere carnes (sic de cæteris solo jure positivo prohibitis) sit intrinsece, et secundum substan-

tiam bonum ac licitum. Sic etiam quamvis prædatio, et Delectatio de ea, sit jure naturæ prohibita, in speciali tamen casu, quo Deus illam permitteret, esset licita, adeoque talis conditio, *Si Deus permitteret*, aufert omnem malitiam; sicuti quamvis uxorato, et Sacerdoti, seu alteri voto castitatis adstricto sit jure naturæ prohibitum ducere uxorem, et de ea oblectari, quia tamen tale desiderium, seu delectatio esset solum sub conditione illa, *Si non essem uxoratus, Sacerdos, seu voto castitatis adstrictus*, talis conditio aufert omnem malitiam a tali conditionato desiderio, seu conditionata Delectatione, quia pro eo statu, quo quis non est uxoratus, nec voto castitatis adstrictus, non est sibi interdictum uxorem ducere, et de ea delectari, ut patet de licito usu conjugii.

(13) Delectatio autem morosa, seu desiderium de objecto jure naturæ prohibito, et semper intrinsece malo, sub conditione *si liceret, si non esset peccatum*, est semper illicita, quoties objectum in nullo statu, et casu potest esse licitum; uti est delectari in his objectis, *Odissem Deum, si non esset peccatum; blasphemarem, si liceret*, et hujusmodi. Est communior cum Adrian. Sanchez, Azor. Layman, Busembaum, Sporer locis citatis; Suarez de peccatis d. 5. sect. 5. n. 10. Rhod. d. 1. q. 3. sect. 3. § 3. Loth. tr. 12 q. 2. art. 5. La Croix lib. 5. num. 82. aliisque multis contra Cajetan. Salas, Castropal. Oviend. Carden. Herinx, et alios. Et ratio est, quia cum talis conditio sit pro omni statu, et casu impossibilis, numquam potest auferre malitiam objecti jure naturæ prohibiti, et semper intrinsece, et substantialiter mali; in nullo enim statu hominis, et casu potest verificari quod liceat odio habere Deum, blasphemare, et hujusmodi; ergo, etc., antecedens est clarum, quia ratio v. g. blasphemix est semper intrinsece mala in quocumque statu et casu, uti supponitur; sed ratio blasphemix non separatur nequidem intentionaliter, ergo nec ratio malitiæ. Minor est evidens, nam dicit ille, *blasphemarem si liceret*, et in hoc objecto delectatur, ergo Delectatio tendit in rationem blasphemix ut substantem illi pro omni statu, et casu impossibili conditioni *Si liceret*; et consequenter ratio blasphemix non separatur nequidem intentionaliter; adeoque voluntas adhuc actuali suo affectu, et Delectatione fertur in rem mortaliter malam, et sic adhuc peccabit mortaliter, ac si conditio nulla appositâ fuisset. (14) Hinc a fortiori erit peccaminosa Delectatio, vel desiderium de rebus quibusvis malis sub aliqua conditione, quæ quamvis a parte rei purificaretur, et poneretur, nullo modo auferret malitiam actus, ut fit in his: *Si non esset infernus, occiderem talem hominem; Si non essem Religiosus, fornicarer; Si avolare possem, raperem gemmam*, et hujusmodi. Est communissima. Et ratio est, quia tales conditiones relinquunt adhuc totam malitiam in similibus Delectationibus vel desideriis; quamvis enim non esset infernus, adhuc mihi esset illicitum homicidium: quamvis non essem Religiosus, esset adhuc mihi il-